

voluntatis imperatur ab alio actu ejusdem, ut actus misericordiae ab actu charitatis: et ratio hujus locutionis sumi potest ex dictis in prima sententia: et quia imperare est habentis dominium: voluntas vero est, quæ quasi habet dominium omnium actionum humanarum.

11. *Secunda assertio.* — Dico tamen secundo: actus intellectus dicitur imperium, et proprie illi convenit ratio hujus vocis. Hoc vult D. Thomas, in d. q. 17, a. 1, et patet, nam imprimis illa actio per modum imperantis manifeste continet rationem imperii, quia movet et ordinat. Patet etiam, quia simili modo imperamus aliis: et hoc modo videtur loqui Augustinus supra: tamen Aristoteles non loquitur de hoc imperio vero, sed de illo, quod simpliciter necessarium est ad actus prudentiæ, et exercitium virtutis. Et ideo Aristoteles tam judicium illud practicum, quod antecedit electionem, quam quod antecedit usum, vocat imperium: et ratio est, quia imperare non est quomodocumque movere, sed movere quasi imponendo legem: intellectus autem est qui legem ponit voluntati, quoniam judicat de agendis.

12. *Notatio prima.* — *Notatio secunda.* — Sed nota primo, multos in hoc fuisse deceptos, quia putant de ratione imperii intellectus esse, ut necessitatem inferat voluntati; et propterea non attribuunt hanc rationem judicio practico, sed alteri actui, quod falsum esse constat ex D. Thoma, art. 3 et 4, ad 2, et contra Aristotelem dicentem rationem imperare voluntati regendo et judicando: et ratione constat; quia non est de ratione legis, ut necessitatem inferat; ergo nec de ratione particularis imperii, quod quis sibi imponit, quod est quasi lex particularis. Et confirmatur: nam cum aliis imperamus: non inferimus illis necessitatem. Nota secundo apud Aristotelem cum distinguit imperium prudentiæ a judicio, nomine *imperii* intelligere illud judicium practice practicum, quod proprie antecedit usum tanquam ejus regula: neque vero intelligit hunc actum non esse per modum judicii: nam falsum id esse constat ex dictis. Constat etiam ex verbis ejus: nam dicit, illum actum esse conclusionem syllogismi practici: conclusio autem vim judicii habet, nam manifestat connexionem inter electionem factam et usum, seu exercitium actionis: et hinc habet vim ad determinandam voluntatem: nam revera si talis actus nihil denuo ostenderit voluntati, esset inutilis: distinguit ergo hunc actum a judicio, quia tota consultatio, et difficultas ferendi judicium

pendet ex consultatione, et judicio, quod post illam sequitur: facta autem consultatione, et judicio, jam difficultas non est, in cognitione, sed in exequendo; et per hæc constat, quid veritatis habeant sententiæ allatæ.

13. *An usus præcedat imperium.* — *Uno modo imperium præcedit.* — Et ex his facile solvitur quæstio, quam D. Thomas, art. 3 illius quæstionis 17, tractat: nempe an usus præcedat imperium? In qua breviter nota, voluntatem uti intellectu, et aliis potentiis, quia omnis actus liber ut sic, est a voluntate: loqui ergo possumus de usu voluntatis et imperio intellectus, prout directe tendunt ad directionem, seu actionem potentiæ exequentis: hoc modo constat, imperium eo modo, quo est in intellectu, antecedere usum ratione judicii practici. Quod satis ex dictis patet: ratione vero illius locutionis non necessario antecedere, sed quasi concomitanter. Notat vero D. Thomas illud imperium, seu judicium intellectus, etiamsi omnino practicum sit, sæpe natura tantum, nonnunquam vero etiam tempore antecedere usum, quia vel imperium non est efficax, vel voluntas non vult obedire, sed mutare, vel differre electionem: vel forte, quia potentia exequens est aliquo modo impedita. De ipso autem usu voluntatis dicit D. Thomas, nullo modo antecedere actionem potentiæ executivæ: quia omnino movet illam, et quia in genere moris non solum est principium effectivum ejus, sed quasi forma, et ideo censentur esse simul omnino.

14. *Alio modo subsequitur.* — Si autem loquamur posteriori modo, et consideremus ipsum imperium, quatenus actus liber est, necessario dicendum est, a voluntate procedere: atque adeo esse potest ad aliquem usum voluntatis. Sed oportet hic advertere, istum usum non necessario per actum formalem, et expressum, quo voluntas velit intellectui imperare, sed frequenter fieri solum virtuali usu: nam posita intentione efficaci finis, sæpe ex vi illius applicatur intellectus ad inquirenda media. Et similiter ex vi electionis applicatur ad cogitandum de executione ipsa, licet etiam interdum præcedere possit ille formalis actus voluntatis applicantis intellectum: quod maxime contingit in illo imperio, quod fit per interiorem locutionem: nam cum illud non sit ex natura rei simpliciter necessarium: vix unquam sequitur ex virtute alterius actus, sed ex formali voluntate sibi imperandi, sicut contingit in imperio; quo aliis imperamus. Unde fit, ut ante hanc voluntatem debeat

præcedere, et cognitio, et judicium, et consequenter quodammodo usus. Quapropter ne in infinitum procedatur, in aliquo virtuali usu intellectus sistendum est.

DISPUTATIO X.

DE ACTIBUS IMPERATIS VOLUNTATIS IN COMMUNI.

Imperium, ut ex superioribus constat, solum habet locum in actibus liberis; et ideo in brutis non reperitur, neque item amor, nec visio Dei imperatur, quia sunt actus necessarii. Quapropter illi dicuntur actus imperati proprie, qui a voluntate non immediate, et proxime, sed mediate libere procedunt; et isti actus distinguuntur communiter abolicis, quos ipsa voluntas proxime, et immediate elicit.

SECTIO I.

Utrum actus voluntatis et rationis imperentur.

1. *Satisfit primæ parti tituli.* — Quoad primam partem tituli D. Thomas 1, 2, quæst. 17, art. 5, affirmative respondet. Sed nota primo, actum voluntatis proprie esse elicatum non imperatum in ordine ad ipsam voluntatem, tamen in ordine ad intellectum dicitur imperatus eo modo, quo in intellectu est imperium. Nota secundo primum amorem, seu voluntatem finis non dici proprie actum imperatum, quia procedit a judicio minus practico, at quia nullum supponit actum voluntatis. Alii vero actus dicuntur etiam imperati, quia non a voluntate sola, sed ab alio etiam actu ipsius voluntatis procedunt; et hoc modo actus misericordiae dicitur imperatus a charitate, et ob hæc aliqui illi divisioni actuum voluntatis in elicitos, et imperatos tertium addunt membrum; eorum videlicet actuum, qui simul et imperati sunt, et eliciti, de quo vide Almainum, tract. 1, Moral., cap. 2.

2. *Prima assertio pro secunda parte tituli.* — Quoad secundam partem tituli, de qua etiam D. Thomas, supra, art. 6, dico primo. Actus rationis imperatur quoad exercitium a voluntate; hoc intelligitur, et constat ex dictis et experientia; sed excludendus est primus actus intellectus, ut supra dixi, et excludendi etiam sunt actus necessarii, qui præcipui sunt, et per se in intellectu separato; in conjuncto enim per se non reperitur necessitas, nisi in primo actu; interdum tamen contingit, ut propter aliqua impedimenta non obediat intellectus

voluntati: ut si motio sensus, vel phantasie sit ita vehemens, ut quasi rapiat intellectum; nam tunc vel voluntas non potest uti intellectu suo arbitrio, vel certe dum ipsa vult, id obtinet, quod vult, tamen statim intermittit actum intellectus; ergo revertere potest ad eandem cogitationem, si aliunde moveatur.

3. *Secunda assertio.* — *Objectioni satisfit.* — Dico secundo. Apprehensio intellectus non potest imperari a voluntate quantum ad speciem actus; est D. Thomæ et ratio est, quia posita specie in intellectu, quamvis sit in potestate hominis apprehendere, vel non apprehendere rem præsentatam, non tamen est in potestate voluntatis apprehendere hoc, vel illo modo, sed prout per speciem repræsentatur. Dices: etiam est in potestate hominis facere veram, vel falsam rei apprehensionem. Respondetur: potest quidem homo apprehendere rem fictam, ut chimeram: sed tamen illud non est variare speciem apprehensionis ejusdem rei: sed exercitium, quia illa jam non est apprehensio hominis, verbi gratia, vel alterius rei: sed est apprehensio fictæ, et quoad hoc est vera apprehensio.

4. *Tertia assertio.* — *Difficultas removetur.* — Dico tertio. Quando judicium intellectus est evidens, non pendet a voluntate in specie actus: est etiam D. Thomæ, id est, non potest voluntas movere intellectum nisi ad assensum rei evidentis, quia ad dissensionem non potest: ratio est, quia intellectus est potentia necessario agens quando objectum perfecte proponitur ut necessario verum: proponitur autem perfecte per lumen vel medium evidens. Sed occurrebat difficultas, quoniam interdum videtur voluntas movere intellectum ad credendum ea, quæ non manant ex principiis evidentibus. Respondetur negando assumptum, sed movet credendo, aliquas posse esse veritates secundum ista principia, quæ lumine naturali manifestantur: et hoc ipsum est fere evidens, quia constat, multas esse res, quas noster intellectus non comprehendit, præcipue Deum, et infinitam ejus perfectionem: et ideo contra ipsum judicium intellectus esset velle res ipsas omnes solo lumine naturali mensurare.

5. *Quarta assertio.* — *Probabile est intellectum semper assentire vero simili.* — Dico quarto. Quando intellectus non habet evidentiam de aliquo objecto, potest moveri a voluntate ad speciem actus, id est, ad assentiendum, vel dissentiendum: est etiam D. Thomæ. Ac materia hujus conclusionis latissima est, quæ

partim in dialectica, partim in materia de fide uberius est explicanda. Nunc tamen dico, voluntatem non posse movere intellectum, ut assentiat, nisi sub ratione veri, neque ut dissentiat, nisi sub ratione falsi: et ratio est, quia non potest movere intellectum, ut operetur extra suum objectum formale: ex quo fit, ut in rebus, quæ non sunt per se notæ, semper sit necessarium aliquod medium, quod veritatem probabiliter saltem ostendat: alias non poterit intellectus moveri, ut assentiat, vel dissentiat, quia non habet objectum. Quando vero est tale medium, quod non infert necessitatem simpliciter, tamen aliquo modo ostendit veritatem, tunc potest voluntas movere intellectum ad assensum, et mihi probabile est, non posse moveri, nisi in illud, quod verosimilius et probabilius apparet: quamvis ipsa voluntatis affectio plurimum conferre possit, ut ipsum objectum probabilius, et verosimilius apparet.

SECTION II.

Utrum actus sensitivi imperentur.

1. *Prima assertio.* — Dico primo. Voluntas et intellectus non possunt immediate movere appetitum sensitivum, nisi adsit iudicium phantasiæ: est juxta D. Thomam, supra, a. 7. Ratio est, quia etiam appetitus sensitivus non fertur, nisi in bonum cognitum cognitione sibi proportionata: et patet ex dictis a simili supra de voluntate.

2. *Secunda assertio.* — Dico secundo. Existente in phantasia et sensu, absoluto iudicio de convenientia objecti, non potest voluntas imperare appetitui, ut non appetat, vel ipse non obediat: ratio est, quia appetitus ex se est potentia naturalis et necessario agens, ut suppono: unde si habet objectum debite applicatum, necessario tendit in illud. Confirmatur a simili: nam applicato sensui visus objecto et ablati impedimentis, non potest voluntas imperare ut non videat. Dixi, *existente absoluto iudicio*, quia si apprehensio sit imperfecta, et sensus sit quasi dubius inter diversa objecta, tunc non sequitur motus in appetitu, quia non sufficienter proponitur objectum.

3. *Tertia assertio.* — Dico tertio. Interdum voluntas non potest imperio suo tollere apprehensionem imaginationis, et tunc etiam non potest impedire omnem actum appetitus sensitivi. Hoc patet primo in his actibus, qui omnino præveniunt rationis usum et adverten-

tiam. Item in his, quæ fiunt ex reali præsentia objecti, vel alteratione aliqua materiali ipsius corporis: nam illa actione durante non potest homo impedire per imperium actum phantasiæ, quia hæc potentia necessario agit, quando a suo objecto actu movetur.

4. *In quibus non obediunt aliæ potentie voluntati?* — Et hæc est ratio, propter quam dolor appetitus sensitivi non pendet a voluntate, quando actu inest causa doloris: et simile est de voluptate. Præterea etiam quando actus phantasiæ non procedit ex mutatione objecti exterioris, contingere potest, ut voluntas non possit illum removere, quia interior ipsa motio imaginationis quæ sæpe fit per naturalem alterationem humorum et spirituum vitalium, vel propter operationem alicujus intrinseci agentis Angeli, vel dæmonis, ita potest esse vehemens et importuna, ut non possit voluntas suo arbitrio istam depellere, quia etiam tunc dependet ex actuali motione objecti quamvis interius facta: quam motionem non potest voluntas impedire. Sciendum autem est, voluntatem et rationem, quamvis imperando non possint cohibere istos motus, posse tamen illos moderari, si rebus aliis attendant: et tanta potest esse attentio intellectus circa rem aliam, ut omnino impediret apprehensionem imaginationis, et actualem etiam dolorem et voluntatem: sed hoc non fit vi imperii, sed propter separationem virtutis.

5. *Quarta assertio.* — Dico quarto. Quando apprehensio imaginationis et motio appetitus non procedit ex actuali motione objecti, potest voluntas et revocare imaginationem ad aliud, et impedire motum appetitus. Conclusio est certa et communis, et patet experientia: et ratio est, quia voluntas est generale principium actuum humanorum, estque illius perspicere universalem finem hominis, et quidquid est illi convenientis, et præcipere intellectui ut magis etiam id ostendat. Tamen oportet advertere, efficaciam hujus imperii ex necessitate solum habere vim, quamdiu voluntas ipsa actu movet et intellectus advertit; nam statim atque voluntas cessat, phantasia et appetitus possunt reverti ad suos actus.

6. *Quinta assertio.* — Dico quinto. Quandoque voluntas efficaciter imperat appetitui sensitivo, et appetitione absoluta appetat vel fugiat aliquod objectum, ipse semper et necessario obedit. Est etiam communis: et patet, quia isto modo movemus nosmetipsos, et agredimur res ipsi appetitui repugnantes: quæ tamen motio proxime fit per phantasiam et

appetitum: et ratio est, quia cum isti appetitus sint in eadem anima, oportuit natura sua dicto modo esse subordinatos, nam multitudo sine ordine parit confusionem: et propterea inferior appetitus habet naturalem propensionem ad obediendum superiori etiam contra propriam et peculiarem inclinationem, sicut levitia et gravia ad replendum vacuum extra sua loca naturalia.

7. *Objectio diluitur.* — Dices: istam conclusionem contradicere primæ, secundæ et tertiæ, et experientiæ: nam sæpe volumus non concupiscere et non possumus. Respondetur imprimis: quando fit ista motio, non fit sine iudicio phantasiæ: nam ipsa etiam tunc necessitatur ad iudicandum, id esse convenientis homini, etiam secundum corpus: si tamen objectum doloris aut voluptatis sit præsens, non potest voluntas imperare, ut non sequatur dolor: tamen potest efficaciter imperare appetitui, ut non repugnet illi dolori actu absoluto, sed in eo persistat. Et tandem verum est, sæpe voluntatem non posse omnem repugnantiam appetitus tollere, quia sæpe manet in eo quidam actus quasi naturalis, qui est imperfectus et explicatur hac voce *nollem*: tamen cum hac repugnantia stat actu absoluto appetere: et quantum ad istum actum dicimus necessario obedire, cujus signum est, quia semper ex illo actu sequitur motus in homine juxta imperium voluntatis. Quod si interdum aliqua membra moveantur contra istud imperium voluntatis, illud non est propter imperium appetitus sensitivi repugnantis, sed quasi per accidens resultat ille motus ex aliqua alteratione materiali. Vide D. Thomam, supra, art. 9, ad 3.

8. *Exponitur dictum Aristotelis de obedientia appetitus erga voluntatem.* — Et ex dictis intelligitur primo, dictum illud Aristotelis, 1, Politic., cap. 3, appetitum obedire voluntati principatu politico; sensus enim est, quia posset resistere vel repugnare appetitus sensitivus, non quia existente voluntate absoluta necessarium non sit appetitum obedire, sed quia non obstante voluntate potest ipse per modum naturæ per actum inefficacem contrarium objectum inclinari, ex qua repugnantia paulatim fit sæpe, ut afficiat superiorem appetitum, et illum trahat, ut secum consentiat. Tamen si voluntas ipsa perseverare vult semper vincet: et consuetudine etiam fieri potest, ut inferior pars minus resistat, quia dum ipsæ actiones usu fiunt jucundiores, ipsa etiam imaginatio apprehendit objecta a ratione proposita, ut facilia et sibi etiam convenientia.

9. *Cur non semper excitetur in appetitu actus, quem vult voluntas.* — Secundo intelligitur ratio, propter quam non potest sæpe voluntas eum dolorem vel tristitiam in appetitu excitare, quem sæpe desiderat: quia videlicet illa naturalis repugnantia non potest sæpe vinci omnino: ex quo fit, ut conatus appetitus, et consequenter intensio actus sit minor: et propterea quamvis appetitus obediat quantum ad substantiam actus, non tamen semper, quantum ad conatum et intensionem, et multo minus quantum ad aliquos effectus, qui in corpore fieri solent ex passionibus appetitus.

10. *Cur potentia motiva semper obediat.* — Tertio intelligitur ratio, propter quam potentia motiva voluntati ad nutum, et sine resistantia obedit, et tamen appetitus, qui perfectior est, et voluntati similior, ei sæpe resistit: causa enim est, quare membra exteriora non ab objecto proprio moventur, sed a superiori tantum potentia tanquam instrumentum quoddam et organum, quod omnino subijcitur principali moventi: appetitus autem movetur a proprio objecto secundum propriam naturam meliorationem.

11. *Objectio diluitur.* — Dices: etiam exteriora membra habent inclinationem propriam, et appetitum. Respondetur, non habere appetitum vitæ, et ideo non vitaliter resistere: tamen quia habent aliquod naturale pondus, possunt resistere aliquo modo, vel impedire actionem, sicut etiam, quia debitam dispositionem requirunt ad motum efficiendum, fieri potest, ut ex defectu ejus impediri possit voluntatis imperium. Et per hæc intelligitur D. Thomas 1, 2, quæst. illa 17, art. 8 et 9.

SECTION III.

Utrum imperium et actus imperatus sint unus actus?

1. Questionem tractat D. Thomas 1, 2, quæst. 17, artic. 4. Dico tamen breviter actum imperatum et imperium, esse unum actum in genere moris. In genere, inquam, moris, quia in genere naturæ constat, sæpe esse distinctos: nam unus potest esse actus voluntatis: alius intellectus, vel sensus. Et patet assertio, quia isti actus in genere moris habent idem esse: tum quia ab eodem rationis ordine, et ab eadem libertate procedunt: tum quia ex illis quasi conficitur una perfecta actio, unde quasi per modum materiæ et formæ uniri censentur: ex quo colligitur, non solum im-

perium et actum imperatum, sed etiam consilium, electionem, et usum quatenus ad executionem ejusdem actionis tendunt, si simul fiant, et sine interruptione morali, censeantur omnes complere unum perfectum actum humanum.

2. Sed tamen nota, conclusionem intelligi de imperio et actu imperato in uno homine: secus est, si imperium ad alium deferatur.

Nam tunc actus factus ab uno propter imperium alterius, licet ad imperantem relatus unus moraliter sit cum imperio ejus, et ideo bonitas, vel malitia imperati actus imperanti tribuatur: tamen comparatus ille actus cum ipsomet, qui actum imperatum exequitur, est novus moralis actus, quia nova libertate fit, et ideo potest illi, vel ad novum meritum, vel culpam imputari.

FINIS TRACTATUS DE VOLUNTARIO ET INVOLUNTARIO.

ELENCHUS TRACTATUS TERTII

DE BONITATE ET MALITIA HUMANORUM ACTUUM.

DISPUTATIO I.

DE ACTU MORALI IN COMMUNI, QUIDQUE IN EO SIT MORALITAS, CONTINENS SECTIONES TRES.

1. *Quinam actus sint morales in homine.*
2. *Quid sit in actu morali ipsa moralitas.*
3. *Quid sit moralitas in cæteris rebus quæ morales denominantur.*

DISPUTATIO II.

DE BONITATE ET MALITIA OBJECTIVA HUMANORUM ACTUUM, COMPREHENDENS SECTIONES TRES.

1. *Utrum in objectis actuum humanorum sit aliqua honestas, sive bonitas moralis objectiva.*
2. *Quid sit bonitas objectiva humanorum actuum.*
3. *Utrum actus humani sumant honestatem ex objecto, fine, et circumstantia, et quotuplex illa sit.*

DISPUTATIO III.

DE FORMALI BONITATE ACTUS INTERIORIS VOLUNTATIS IN COMMUNI, CONTINENS SECTIONES QUATUOR.

1. *Utrum possit esse in voluntate homi-*

nis actus aliquis moraliter bonus absolute, et simpliciter.

2. *Utrum actus interior voluntatis sit formaliter bonus, vel tantum casualiter ab actu externo.*
3. *Quid sit bonitas formalis, et moralis in actu interno.*
4. *Quotuplex sit bonitas in actu interiori voluntatis.*

DISPUTATIO IV.

DE BONITATE ACTUS INTERIORIS EX OBJECTO, COMPLECTENS SECTIONES QUATUOR.

1. *Utrum actus interior sumat suam bonitatem ex objecto.*
2. *Utrum hæc bonitas quæ sumitur ex objecto sit prima, et essentialis, atque entitativa differentia interioris actus voluntatis.*
3. *Utrum idem actus voluntatis possit habere plures bonitates specificè diversas ex proximo objecto.*
4. *Utrum actus voluntatis habeat unam bonitatem in ordine ad plura objecta materialia.*

DISPUTATIO V.

DE BONITATE ACTUS INTERIORIS EX CIRCUMSTANTIIS, CONTINENS SECTIONES TRES.

1. *Utrum actus interior, ut sit simpliciter bonus requirat bonitatem aliquam ex circumstantiis.*
2. *Quomodo in voluntate esse debeant circumstantiæ objectivæ, ut conferant bonitatem actui interiori, et qualis sit illa bonitas.*
3. *Quomodo circumstantiæ actus interioris: quæ immediate ipsum afficiunt, debeant esse voluntariæ, ut dent bonitatem, et quæ sit talis bonitas.*

DISPUTATIO VI.

DE BONITATE ACTUS INTERIORIS EX FINE, CONTINENS SECTIONES QUINQUE.

1. *Utrum bonus finis sit necessarius, ut actus voluntatis sit bonus.*
2. *Qualis sit bonitas, quam actus puræ electionis habet ex fine honesto.*
3. *Utrum actus ex objecto bonus possit habere bonitatem aliquam ex fine extrinseco.*
4. *Quid sit bonitas accidentalis ex fine in actu interno voluntatis.*
5. *Qualis relatio in finem requiratur ad prædictam bonitatem.*

DISPUTATIO VII.

DE MALITIA, COMPLECTENS SECTIONES DECEM.

1. *Utrum sit aliquis actus voluntatis ex natura sua malus exclusa etiam extrinseca prohibitione.*
2. *Utrum malitia interioris actus voluntatis proxime sit in ipso actu.*
3. *Utrum malitia actus interni sit aliquis modus realis positivus, et physicus in ipso.*

4. *Utrum malitia moralis actus voluntatis præter entitatem ejus addat rationem moralem positivam, vel tantum privativam.*

5. *Utrum malitia actus voluntatis dicat privationem rectitudinis, seu honestatis debitæ.*
6. *Utrum malitia moralis sit sola ipsa negatio, vel privatio, vel includat etiam entitatem positivam ipsius actus.*
7. *Utrum actus malus sumat unitatem et distinctionem specificam ex objecto.*
8. *Utrum actus voluntatis accipiat malitiam ex circumstantiis, et quomodo.*
9. *Utrum actus voluntatis sumat malitiam ex fine.*
10. *Utrum sit aliqua malitia voluntatis in sola carentia actus, et quid sit illa.*

DISPUTATIO VIII.

DE DIVISIONE ACTUS VOLUNTATIS IN BONUM ET MALUM, ET MEMBRORUM COMPARATIONE, ET REPUGNANTIA, CONTINENS SECTIONES TRES.

1. *Utrum idem actus voluntatis possit simul habere bonitatem et malitiam.*
2. *Utrum habere illas possit successive.*
3. *Divisio actus voluntatis in bonum et malum sit essentialis, necne.*

DISPUTATIO IX.

DE INDIFFERENTIA ACTUUM VOLUNTATIS, ET SUFFICIENTIA DIVISIONIS IN BONUM ET MALUM, CONTINENS SECTIONES TRES.

1. *Utrum detur actus voluntatis indifferens secundum suam essentiam vel speciem.*